

scopum collinabat, ut Chalcedonensi Concilio fidem & auctoritatem omnem abrogaret, omnemque procel- lam in Eutychnianos incumbentem in horum adversarios Nestorianos converteret, Catholicos vero inter se invi- cem committeret ac schismate divelleret, Eutychnianis vero solis & robur & securitas accresceret. Hæc sapien- ter penetrans Vigilus Pontifex, Theodoro ista mo- lientem scriptis literis graviter coarguit. Justinianus tamen Theodoro morem gerens, missis in omnes par- tes epistolis, Episcopos ad trium præfatorum capitulum damnationem instanter urget. Horum pars quidem ac- quiescit, pars vero metuens ne Chalcedonensi Concilio tritus fieret, moras necit, & rem non aliter quam totius Orbis deliberatione respondet esse dijudicandam, non vero fallacibus privatorum aliquorum affectibus. Itaque rem eo tandem Justinianus deduxit ut Capitula tria simulque Origenistarum ad œcumenicæ Synodi de- finitionem referrentur. Vigilus quidem Catholicæ paci & unitati prospiciens, nec ignorans quem sibi Justinianus, ejusque suavor Theodorus, finem in hoc superva- caneo, & tamen periculi pleno negotio proponerent, eo vergere proposuerat, ubi major spes affulgeret san- ciendæ communi fidelium concordia. Eaque mente cum Justinianus damnationi trium capitulorum Mennam Constantinopolis Episcopum & alios Patriarchas Orien- tis, cum subditis Episcopis, subscribere compulisset, il- los damnatores Vigilus reprobavit; neque ullis Justi- niani precibus, minis, & adhibita vi insecti potuit ad capitula tria condemnanda. Præclusis deinde omnibus excusationum evasionumque viis, cum res ad generalem tandem Synodum vergeret, sine qua damnationem peti- tam nullatenus fieri debere constanter asseveraverat; jamque videret rem ad œcumenicam Synodum esse de- ductam, omnesque in hoc ipsum unanimes consentire provinciarum totius Orientis Episcopos, neque tergi- versandi ullum relinqui locum, sed reluctante se nasci- turum exitiale schisma, cunctarumque Ecclesiarum Orien- talium Romana ab sede certissimam, deincepsque irre- conciliabilem discessionem: perpendens insuper justam fore revera capitulorum reprobationem, quam hæcenus sola Chalcedonensi Synodo debita veneratio vetuisset, omnesque omnibus fidei decretis Chalcedonensibus as- sensum palam profiteri, simulque Leonis Pontificis epi- stola: tum demum Vigilus jure merito tria capitula damnavit, pari prudentiâ judicio & officio quo antea obstitit. Plerique tamen Africani & Ithiæ Episcopi obstinatius & Pontifici & Synodo refragantes schisma- tici evaserunt. Eoque in schismate Aquilejæ Præsul, cui primas dignitatis partes ceteri schismatici regionis Episcopi deferant, Patriarchæ novum sibi titulum ar- rogavit.

8. Anno itaque Christi quingentesimo quinquagesimo tertio Constantinopolitana Synodus secunda, & inter œcumenicas quinta, indicitur. Interfuerunt Eutychnius regis urbis Episcopus ac Patriarcha, qui Mennæ successerat, Apollinaris Alexandrinus, Domnus Antiochenus, tres quoque, qui absentes Eustochii Jerosolymitani Epi- scopi vices agebant, omnesque simul fuere centum sex- aginta Episcopi. Vigilus Romanus Pontifex non judi- cavit per seipsum, neque per suos delegatos huic in- teresse Synodo; etiam tum temporis ab ipso Justiniano accitus Constantinopoli versaretur (sicut pluries aliis in Conciliis per Imperatores convocatis contigerat ipsis or- thodoxis Episcopis, atque aliquando ipsi Liberio Ponti- fici) ad quidquam, quod ipsi Ecclesiæ dedecori ac detri- mento verteret: sed sibi, sine cujus approbatione Synodus nihil ratum ac validum poterat decernere, expe- ctandum esse totius rei exitum: maxime cum absentibus Occidentis Episcopis, a quibus sinceriores poterat sibi fidem polliceri, & certiores in eorum adjunctione fi- duciam collocare; sic namque integrum sibi fore appro- bare, vel respuere, quæcumque tandem Synodus decre- visset. Hanc Vigilus tanto in discrimine prudentiam magnopere commendat illustrissimus Annalium Scriptor.

9. Vigilus tamen, ut ad Concilium accederet, eique præfideret, etiam atque etiam rogatus fuit, ut ex scri- pta ad ipsum Synodali rogatione perspicuum est: in qua postquam Eutychnius Constantinopolis Patriarcha, ceteri- que Patres diserte protestati sunt, se in omnibus definitis per sacrosanctas quatuor Synodos constanter persi- stere, omniaque decreta Chalcedonensia una cum beatis- simi Leonis epistola venerari & amplectari, suppliciter postulant, ut præsentia sui Synodo præfideat, de tribus Capitulis, judicaturus. *Ἐπεὶ οὖν τὸ πρῶτον ἀντιθέμενοι τῶν τριῶν κεφαλαίων τῆς ἐπιστολῆς τοῦ μακαρίου ἀποστόλου λέγοντες ὅτι τὰς ἐπιτολάς τῶν ἁγίων προκείμενων διαγγέλλομεν τὰ αὐτῶν ἀποφάσεις τὰ ἐν πίστι καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιότητι ἔσονται ἀντιθέμενοι: Et ideo petimus, presidente nobis vestra Beatitudine, sua tranquillitate, & Sacerdotali mansue- tudine, propositis sanctis Evangelis communi tractatu ea-*

dem Capitula in medio proponenda queri & conferri. Missi Synodus in primis honorificam ad Vigilum lega- tionem trium Patriarcharum, & cum his aliorum sep- tendecim Episcoporum. Deinde Justinianus alteram ad eundem invitandum & rogandum trium illustrium Pa- triarum, una cum aliis delectis Episcopis: ille tamen nullis adduci precibus valuit, ut a præcessorum suorum (hanc enim obtendit excusationem) consuetudine re- cederet, qui nunquam in œcumenicis Synodis confede- rant. Prolixè tamen suam voluntatem & consensum in his pollicitus est rebus, quæ sacro approbante Concilio pro Ecclesiæ dignitate decernendæ erant. Hæc fere re- feruntur in primis duabus collationibus.

10. Patres in Secretario Concilium auspicantur, actum est primum de Theodoro quondam Mopsuestiæ Episco- po, cujus productis & examinatis libris anathema in eum ejusque doctrinam conclamatum est. Definitumque, hæreticos etiam post mortem posse condemnari, & ana- themate inuri. Itum hinc est in epistolam Ithæ, quam ut a recta desectentem fide Patres censura notarent, & ultra legi prohiberent. Idemque decretum in capi- tula Theodoriti. His peractis editi sunt Canones qua- tuordecim, quibus Catholica fides adversus Nestorium & Acephalos, aliosque Eutychnis & Severi sectarios explicata est.

11. Actum etiam de Origenis, Didymi & Evagrii erroribus, quos uno velut ore Patres omnem execrati sunt. Opera pretium fuerit, omnem damnationis scri- ptorum Origenis historiam ab ipsis exordiis contexere. Primus ejus viventis libros hæresibus referens damnat ejusdem propriis Episcopis Demetrius Alexandrinus, eumque ut hæreticum anathematis sententia perculerat, ut scribit Hieronymus lib. 2. adversus Rufinum. Pro sui vero defensionem litteras apologeticas ad omnes Ec- clesias scripsit Origenes, quibus erroneorum dogmatum crimen a se amoliri conatur, refundens illa in quem- dam amulum & hæreticum librorum exscriptorem, qui ad sanam Origenis doctrinam sua zizania superfeminaverit. Ceterum ex officio fecisset Origenes, si sufficien- ter providisset, ne (quod postea contigit) fraus aliqua ulli ex suis libris fieret, illique sibi adscripti errores latius serperent; colligendi ergo fuerant ab ipso sigilla- tim in unum velut fasciculum, & deinde ab ipso cuncti resellendi & anathematizandi; quod tamen illi nun- quam præstare libuit: præterea non in uno alterove codice, sed, ut observat Hieronymus, in omnibus fere libris, quos Origenes edidit innumeros, eadem passim hæreses insperse leguntur. Poterat saltem exemplaria aliquot proferre, quæ dictante ipso Origene a multis antiquariis, quos pretio conductos Ambrosius Origenis amicis eidem liberalissime suppeditabat, quibus simul scribentibus ipse suos dictabat libros. Hinc enim perfe- ctissime fuisse Origenis innocentia comprobata, si ead- em hæreses ab iisdem codicibus prototypis abuisissent. Cum igitur tam necessariis adeoque facilibus rationibus ut testatur Hieronymus epist. 71. ad ipsum Theophilum, & epist. 78. ad Pammachium, & Apologet. 1. & 2. ad Rufinum. Multitudo subinde Ægypti Monachorum ab Ecclesiæ Sacramentis & liminibus prohibetur, totaque Ægypto depellitur, conceditque in Palaestinam, unde pariter dejecta ad Joannem Chrysostrum Constantinopoli Episcopum perflugium quaesivit, qui eos sola pere- grina communione, qua victus necessarius provideba- tur, exceptis: promittitque fore se ipsorum cum Theophi- lo reconciliationis intermedium: quia vero nullas ab eo formatas litteras producebant, ideo usque dum ple- niorem ipsorum causâ cognitionem haberet, noluit Monachos ad Sacramentorum Ecclesiæ perceptionem ad- mittere, preces tamen eis ad Deum in Ecclesia fundere non prohibuit: diu obstitit Chrysostrum, ne quod ani- mo conceperat profugi Monachi, libellos accusatio- num adversus Theophilum Arcadio Augusto exhiberet. At ubi nulla demum spes illis reditus & pacis affulgere prospus visa est, non amplius distulerunt Imperatori li- bellum offerre gravibus admodum accusationibus refer- tum, adeo ut Theophilus in capitis discrimen adduce- retur. Creditit Theophilus simulque Epiphanius Con- stantia Cypri Episcopus, hanc fuisse Chrysostrum im- pulsore intentatam accusationem: ipsumque esse Ori- genistarum

genistarum fautorem, falsa in utroque persuasione de- cepti.

13. Epiphanius Theophili suasi ad Chrysostrum scri- bit de cogenda Constantinopoli Synodo ad condemnan- dum Origenistas, sicut a Theophilo Alexandria factum fuerat, & ab Anastasio Papa Romæ, cui rescriptit Chry- sostrum, Ægyptios Monachos conqueri se falsis accu- sationibus appeti. Quod vero spectabat ad rem Ori- genistarum, cum nulla id fuisse œcumenica Synodo de- cretum, consultius videri sibi agendum circa Origenis libros, ne majus ex hujusmodi concertatione dissidium & schisma nasceretur: quandoquidem plerique sanctissi- mi Patres & Ecclesiæ Doctores magnam Origeni vene- rationem habuerunt. Epiphanius his minime acquies- cens, suadente Theophilo Constantinopolim profectus est. Adveniente in urbem Epiphanius Chrysostrum omnibus humanitatis officiis profectus est, rogavitque ut una domo & una Ecclesia secum uteretur: ille vero negavit se ullatenus communionem cum eo habiturum, donec Origenis libros aperte damnasset, Monachosque Origenistas expulisset. Epiphanius post aliquot disputa- tiones & rixas cum Clericis urbis, & cum Episcopis qui tunc in urbe regia versabantur, quosque nec a Chrysostrum divellere, nec ad suas potuit traducere partes, admonitus tandem periculi sibi impendentis, si quis tumultus aut seditio moveretur, cujus ipse incen- tor ultroque advenisset, desistit ab inceptis; & ex ur- be directa in Cyprum navigatione, re, pro qua vene- rat, infecta, suam repetiit Ecclesiam.

14. Digressio Epiphanius, Theophilus jubente Arcadio Principe profectus in regiam civitatem fuit, ut de ac- cusationibus responderet; in eo itinere complures col- legit secumque adduxit Episcopos, in animo versans, quod re postea complevit, Synodum adversus Chryso- strum in ipsius Diocesi celebrare; sciebat enim, Eu- doxiam Augustam sanctissimo Præsuli, qui eam sæpius coarguerat, esse acriter insensam. Quinetiam fortuito evenit, ut cum pro concione Chrysostrum alludens ad Elia Prophetæ verba 3. Regum 18. Congregate ad me Sacerdotes dedecoris, qui comedunt mensam Jezabel, &c. quotquot ei adversabantur, Imperatricem aperius in ejus perniciem accenderent, persuadentes ista convicia- di ipsi animo ab illo fuisse dicta, simulque in contu- meliam Theophili Alexandrini, Severi Gabalitani, Aca- cii Antiochiæ Episcoporum in Chrysostrum adversantium, qui Eudoxia cura & impensis Constantinopoli aleban- tur. Hæc ergo irarum impotens acris conspirat cum ejusmodi Chrysostrum insensis Episcopis in ipsius exi- tium. Convenit itaque Concilium malignantium præsi- de Theophilo ad Quercum. Sic vocabatur Chalcedonis suburbium. Eo citatus Chrysostrum reus, cum ad ille- gitimum Conciliabulum sibi aperte adversantium, hos- tile animo affectorum, neque ullam in se potestatem habentium, se sistere recufasset, damnatur absens, & se- de ac dignitate ut impius Origenista turbarum auctor & Augustæ dignitati injuriosus & temerarius deponitur, quinetiam postulante pseudosynodo, & urgente Eudo- xia, exilio damnatur ab Arcadio; Monachi vero profugi, venia suppliciter rogata, in gratiam cum Theophilo redeunt. Iste vero qui gravissimum criminum reus accersitus ab Arcadio, Constantinopolim primum trium- phali comitatu ingressus, honoribus in aula cumulatus est, Synodumque in vicinia regie urbis habuit, cui præ- sedit, factus derepente ex reo Judex Episcopi sibi nul- latenus subditi, atque in aliena Diocesi, cujus etiam Antistiti ante aliquot annos totius Orientis Episcopi in secunda œcumenica Synodo altioris dignitatis gradum præ omnibus Orientis Patriarchis indulserant. Scribit Socrates, hunc ipsum Theophilum, cum frequenter Ori- genis scripta revolveret, dicere solitum: Ejus libros si- miles esse præto omnibus florum herbarumque generibus confito, ex quo bona & salubria multa decerpebat, reliqua vero quæ noxia erant, missa faceret. Severus quo- que Sulpitius, quamvis Origeni fortasse addictior quam par esset, quippe qui in Dialogo a se scripto de con- versatione Orientalium Monachorum, Episcopos vitu- perat, qui libros Origenis damnabant; ibidem tamen ingenue agnoscit non tantum perverfam inesse doctri- nam, quam aliqui excusabant non eo auctore traditam, sed ab ejus malevolis aut hæreticis insperatam; ipse ta- men ab Origene, & non aliunde profectam asserit: Alexandria (inquit Dial. 1.) sedita inter Episcopos atque congregati in unum sapienter Sacerdotes, frequentibus de- crevissent Synodis videbantur, ne quis Origenis libros le- geret aut haberet, qui tractator sacrarum Scripturarum peritissimus habebatur; sed Episcopi quidam in libris ipsius insanus scripta memorabant, quæ assertores ejus defendere non ausi, ab hæreticis potius fraudulenter in- spersa dicebant; & ideo non propter illa, quæ in repre- hensionem merito vocarentur, etiam reliqua esse damnan-

da. Cum legentium fides facile possit habere discrimen, ne falsata sequeretur, & tamen Catholice disputata reti- neret, &c. Adversum hæc Episcopi obstinatius reniten- tes, pro potestate cogebant recta etiam universa cum pra- vis & cum ipso auctore damnare, &c. Mihi autem ex illius libris quedam curiosius indaganti admodum multa placuerunt; sed nonnulla deprehendi, quibus illum prava sensisse non dubium est, quæ defensores ejus falsa contem- dunt. Ego miror, unum eundemque hominem tam diver- sum esse a se potuisse, ut in ea parte, qua probatur quod neminem post Apostolos habeat equalem, in ea vero qua jure reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse. Gelasius Papa præcessoris sui Anastasii vestigiis insistent, in Concilio Romano hæc prænucciat: Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repu- diat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum au- ctore suo dicimus esse revocanda.

15. Exemplo hujusce Synodi addidimus, quantas exci- tent in Ecclesia turbas Principes seculares, quando non obsecundando supremæ quam Christus in sua con- stituit Ecclesiæ potestati; sed propria, quæ secularis est abutentes potestate, sive sponte, sive aliorum vel sa- cularium Magistratum, vel Episcoporum quorundam privato impulsu, regimen Ecclesiæ suscipiunt, & novi- tates introducunt. Ipsemet Constantinus Magnus, ipse quoque Theodosius Junior, Principes alioquin religio- sissimi, quorundam, quos pietatis studio affectos existi- mabant, Episcoporum hortatu, quam perniciosa Conci- liabula, quam luctuosas in Ecclesia clades, quam diras Sanctorum vexationes excitarunt! Arcadium sileo Ca- tholicum Imperatorem, cujus abusi sunt facilitate, qui- cumque tam immaniter Chrysostrum, eique conjun- ctos innumeros Sanctos insecti sunt, horrendaque scandala in sacratiora Templorum adyta intulerunt. Quid vero illis portentosius exogitari potest, quæ Con- stantius, Valens, Zeno, Anastasius, hæretici Imperato- res regiminis Ecclesiastici susceptis, habentis effecerunt? Et ne metas trium Capitulorum ulterius transivissent; quæ non edidit mala Justinianus, dum repugnante Vi- gilio Pontifice Concilium istud haberi voluit, fudente in ipso Theodoro Episcopo Cæsariensi: Hinc exorta fun- nestæ & diuturna, in permultis Orbis terrarum Provin- ciis schismata, hinc cædes, honorum direptiones, & innumeros deportationes & exilia: ipse in primis Summus Pontifex Vigilus damnationis capitulorum, quæ ab eo enixe postulabatur, diu & constanter resis- tit, nec eam valuit Justinianus ab illo extorquere, ni- si postquam agritudine senioque confectum Pontificem maximum, cujus sacra persona omni potestati venerabi- lis erat & inviolabilis, & in tetrum carcerem alligato ad collum fune detruxit, in quo dies multos elanguit, modico tantum pane & aqua pascus. Comites autem Vigili & meritis & dignitate venerandos, ignobiliter cæcos ceu villa mancipia ad metalla damnavit, omni calamitate mactandos. Vigilus vero arumnis confectus postquam ereptus e carcere Romam regressus, in Sici- lia interit. Scripsere de his Paulus Diaconus l. 3. c. 12. & l. 4. c. 4. Beda lib. de sex ætatibus, & Liberatus in Breviario, hoc addens: consentientes trium capitulorum damnationi fuisse muneribus ditatos, & honoribus au- ctos; dissentientes vero sedibus, dignitatibus & facultatibus spoliatis in ærumnosa exilia relegatos fuisse, alio- que fuga latitantes in extremis angustiis vita excessisse. Victorem Tununensem in Africa Episcopum eam ob causam sua defectum sede omnique opum subsidio de- stitutum, exilio multatum, tandemque in carcere mor- tem obivisse sub Justiniani persecutione. Facundum præterea Hermianensem in Africa Episcopum par exilii tulisse supplicium. Theodorum alterum Africa Episco- pum, cum tria capitula approbare constanter recufasset, a Justiniano relegatum in ærumnosa exilio vitam finisse. Aliqui tamen Africani Episcopi Concilio subscripti leguntur. In Provinciis quoque Ithiæ, Venetorum, Li- guris, & Insularis, omnes propemodum Episcopi schi- smate se ab iis omnibus abduxerunt, qui Capitulorum damnationi consenserant: in primis Paulinus Aquileje, & Honoratus Mediolani Antistes, qui Conciliabulo eam in rem convocato præfederunt, non modo incon- sulto, sed etiam palam adversante Romano Pontifice Pelagio primo, quem scilicet Vigilus proximum sibi habuit successorem, ut hujus Pelagii ad illos Episcopos epistolæ fidem faciunt. Quamobrem egit Pelagus cum Narsete Patrio & Exarcha Italiæ sub Justiniano Au- gusto, ut istam schismaticorum proterviam sua potentia & armis compesceret. Paulinus autem & Honoratus militum custodia traditi Constantinopolim ad Impera- torem traducti sunt. Sed & ipsi Pelagio causa formidi- nis imminabat, vivente adhuc Justiniano, cujus tyran- nidem sacrilegam expertus fuerat Vigilus Papa, Syno- dum Capitulorum condemnatricem approbare renitens. Ista quidem per Imperatorem, ejusque ducem Italiæ